



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Nos dubitare de remissione peccatorum. tit. 291

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Gratia Dei sum id, quod sum & nemo reijcit Christum, Gal. 2 Non abijcio gratiam Christi, qui solus meruit nobis salutem.

NOS DUBITARE DE REMISSIONE PECCATORUM.

TITVLVS CCXCI.

**A**LTERA causa, quam prætendunt sectæ, quod iuste à nobis recesserunt, est; quia docemus homines dubitare an habeant remissionem peccatorum, necne: Docent enim, inquit, quod oportet hominem habere sufficientia bona opera, si vult saluari, sufficientem habere contritionem, omnium peccatorum enumerationem in confessione, ac satisfactionem plenam & sufficientem, cum tamen nec sectarij sciunt, num habeant fidem sufficientem. Sed cum hoc nemo scire potest, quando habet sufficientem iustitiam operum, idem relinquunt hominem sic incertum, & non dant firmum fundamentum certitudinis fidei remissionis & fiduciam in nudam misericordiam Dei, &c. & probant, Eccles. 9. Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, &c. sed quia sic contumelia afficiunt Christum, idem iustè recessimus. Causa. 2.

Primò notandum, quod homo naturali ratione nescit, an odio aut amore dignus sit, an habeat remissionem peccatorum & gratiam Dei vel non, &cæt. quando cunctis ex æquo veniunt bona & mala, fortuna & infortunium, iustis & malis, &cæt. & sic de casibus calamitatis aut prosperitatis præsentis vitæ loquitur Ecclesiasticus: at dedit Deus homini verbum suum, scripturam & promissiones, vt non ratio, sed fides hic se fundet, & credat scripturis, & illæ nos certificant, quoniam Deus mentiri non potest, Heb. 6, Ergo qui non credit Dei verbo, mendacem eum facit, i. Ioann. 5. Promittit ergo Deus, quoniam pro-

SSf ptes

pter Christum vult saluare, Ioann. 3. & Christus iubet  
pœnitere & credere, Marc. 1. Huic omnes Prophete  
testimonium perhibent, &c. Acto. 10. & 13. Paulus.  
Qui ergo docemus omni hora, vt credatur verbo  
Dei, quomodo iubemus populum dubitare de remi-  
ssione peccatorum? &c. Ratio naturalis nullum  
articulum fidei credere potest, nisi adiuta Scriptura &  
Spiritu sancto.

Secundò, etiam falsum est, quia docemus, quod ho-  
mines oporteat habere sufficientem contritionem,  
sufficientia opera &c. si velint saluari. Hoc enim est  
impossibile nobis peccatoribus, alioqui non fuisset  
opus Christo redemptore, supra quem Deus posuit  
peccata nostra, Esaiæ. 53. qui etiam portauit peccata  
nostra, 1. Petri. 2. quia nos non potuimus portare &  
sufficientia opera habere. Ergo neque fidem sufficien-  
tem habemus, quandò etiam Apostoli illius pete-  
runt augmentationem, Luca. 17. neque opera, quan-  
dò etiam factis omnibus, adhuc serui sumus in uit-  
les, Luca. 17. & Paulus post multos labores inquit:  
Gratia Dei, id est, misericordia Dei sum id quod sum,  
1. Corinth. 15, Cur oramus cum Propheta Psalm. 6.  
Saluum me fac propter misericordiam tuam? In illa  
lam confidere misericordiam in vita & morte, docet-

mus homines, & confidenter totam spem ponere.  
Præterea baptizamus pueros, absoluius confi-  
tentes, &c. quis vnquam docuit? Adhuc debes du-  
bitare an habeas remissionem peccatorum? an non  
nobis satis certus est Christus, propter quem fit re-  
missio, & non propter opus tuum? Quis enim accipi-  
at vitam æternam, si dubitamus de illo quandò dicit  
Apostolus, Iaco. 1. Qui enim hesitat, similis est fluctui  
maris, &c. & iterum: Non ergo existimet homo il-  
le, quod accipiat aliquid à Dominò, qui dubitat.

Tertiò, docemus homines timere, sed non dubita-  
re de remissione & salute, & hoc ex parte nostra est,  
vt

Vel quia imperfecta est fides nostra, quæ appræden-  
dat gratiam, aut quòd iudicia Dei sunt occulta, sicut  
dicebat Paulus. 1. Corin. 4. Nihil mihi conscius  
sum & car. Nō est timor ille ex parte Dei, id est, quòd  
dubitemus de Deo, quòd ille non satisfaciat promi-  
ssioni suæ. Est enim Deus verax, Rom. 3. sed ex parte  
infirmi-  
tatis nostræ, sicut dicebat homo ille Marc. 9.  
Credo Domine, sed adiuua infidelitatem meam, id  
est, infirmitatem. Non enim docet Ecclesia, sic esse  
pertinacē & securū, & dicere: Oportet vt mihi omnia  
prosperè eueniāt, & peccata dimittātur &c. Ideò et si  
nostra natura naturaliter dubitat, sēper verbo tamē  
vincit dubitationē, & adiuuatur. Hoc quia docemus,  
nō habent iustam causam sectæ sui recessus à cōmuni  
Ecclesia. Spes etiā non confundit, Roman. 8.

*QUOD PARTEM SACRA-  
menti damus.*

TITVLVS CCXCII.



**T**ERTIAM causam iusti recessus à cō-  
muni Ecclesia, prætendunt sectæ quo-  
niam CHRISTVS præcepit dare totū  
sacramentū, At nos damus dimidiū  
tantum sacramentū, partem sacra-  
menti panem sine calice, & non fauemus illis,  
quòd sanguis Christi illis remittat etiā peccata. Et  
go cum hoc sit contra institutionem Christi, idēd nō  
lunt nobiscum communicare &c.

Causa 3.

Primò, Catholica Ecclesia non nouit vel dimi-  
diū vel diuisum sacramentum, sed firmiter credit,  
quod sub qualibet specie est totum sacramentum,  
corpus & sanguis, vita & deitas CHRISTI, id est,  
totus Christus. Idēd quæcunque species accipitur.  
ibi totum sacramentum accipitur Dixit CHRI-  
STVS Matth. 26. Hoc est corpus meum, id est, non  
solū caro, nō solum sanguis, id est, sine carne, vel caro  
sine sanguine,

SSS 2